

17. Germ 1893

Hist. Circ. Saxe Super. 193
Hörs. B. 88.

In
Illustrissimi, Celsissimi & Reverendissimi
Principis ac Domini,

DN. PHILIPPI JULII,
Ducis Stetini, Pomeraniæ,
Cassubiorum & Vandalorum, Principis Rugiæ;
Coadjutoris Episcopatus Camminensis; Comitis
Gutzkoviæ; Leoburgensium & Bûtovien-
sium Dynastæ, &c.

O B I T U M E T A B I T U M,
Illius quidem Celsitudini
Felicissimum & Beatissimum;

Sed

Toti Patriæ Pomeraniæ
Luctuosiss. & Tristissimum,

QUERIMONIA LUGUBRIS,
Nomine & Iussu

Magnifici DN. RECTORIS & inclyti SENATUS
Academici in almâ Universitate Pomeranicâ-
Gryphiswaldensi,

NON SINE LACRYMIS
Concepta, & (cùm illius Celsitudo die 6. Feb. An. 1625. piè in
Christo obdormivisset, & post die 6. Maij Eiusdem C. exuvia, Wolgasti
terre religiosè concrederentur) publicè in Auditorio
Majori ibidem die 4. Maij recitata

à
LAURENTIO LUDENIO, Ph. & J. U. D. Poët.
C. Cæs. Prof. Math. Ord. & p. t. Fac. Ph. DECANO.

Exscripta Gryphiswaldij, typis Iohannis Albini, Anno 1625.

27

10.

32

27



Illustrissimo, Celsissimo & Reverendissimo
PRINCIPI ac DOMINO,


DN. BUGISLAO XIV.
Duci Stetini, Pomeraniæ,
Cassubiorum & Vandalorum; Principi Rugiæ;
Episcopo Camminensi; Comiti Gützkoviæ;
Leoburgensium & Bütoviensium
Dynastæ, &c,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Animo subjectiss. & humilimo

D. C.

LAURENTIUS LUDENIUS D.

— UU — — — UU — — — UU Triste
 Multum!
 Subindè
 Redundans
 Miserarum &
 Tetricarum
 Vis lacrymarum
 Polluit ora!
 Suspiria mœsta,
 Lugubria verba,
 Et questus miserandus,
 Et reboans ululatus
 Compleverunt inopino
 Mugitu quicquid ubique est:
 Permiscentur singula luctu,
 Disrumpuntur mœnia planctu,
 Ullulant mœste plangoribus ædes,
 Immugit multo terra tumultu,
 Dissolvit luctu se pontus & æther;
 Templis mœstum illacrymat omnibus ^{æther;} ~~æther;~~
 Lamentis ima fremunt resonantq; barathra;
 Atq; horrifonus ferit aurea sidera clamor!
 Seclum lacrymabile! & insolabile seclum,
 Quoq; vel in lacrymas Adamantina corda liquefiant;
 Et, nisi Caucasæis fuerint magè frigida saxis
 Pectora, in immensum stillent resoluta fluentum!
 Quà Pomeranorum septen-subjecta-trioni
 Tellus se latè diffundit divite tractu,
 Unus erat toto nature vultus in orbe
 Antea, & adnascens gravium concordia rerum,
 Nec quicquam nisi plausus erat, congestaq; eodem
 Vivida surgebant melioris semina sortis,
 Prominulis nec erant contraria flumina terris

Mollia non duro, aut pugnabant humida siccis.

*Verùm (eheu lacrymæ atq; inconsolabile vulnus)
Jam prior est versus nature hoc vultus in orbe,
Obstat nunc alijs aliud, supero ima resistunt;
Atq; inopina novis adolescit fletibus ætas,
Cuncta doloribus & reboant singultibus ora;
Flumina depugnant siccis humentia terris,
Expatiat ruunt per apertos flumina campos
Ut maria & tellus habeant discrimina nulla,
Omnia sint pontus, desunt & littora ponto!*

*Convexa hinc cœli tremuere, atq; arduus axis
Insonuit, motâq; poli compage resedit,
Sub pedibusq; vacillavit, concussa ruinis
Tellus, ut solidus niçtando tremisceret orbis.*

*Indè hominum generi gelidus per dura cucurrit
Ossa tremor; tremere omnia, mutari omnia visa;
» Utq; levi zephyro graciles vibrantur arista,
» Sic vibrari hominum pallentia vidimus ora
Et nutare comam concusso vertice mota.*

*Dixèrit hic si quis, quorsùm hæc in fronte Procem I?
Quid querar, & querulis carmen miserabile metris
Integrem, & rumpam ferales pectore questus?*

*Magnifice ô Rector, Christi reverende sacerdos;
Eusebiæ, Eunomiæ, Panaceæ, & Pallados almæ
Doctores, nostri nitidissima fulcra Lycei; &
Tu delectorum juvenum generosa corona;*

*Quippè, hodierna suos quos aurora attulit ortus
Et dedit ætherei exorientia lumina solis,
Hos renovant questus, hæc alta silentia cogunt
Rumpere, & ancipites verbis vulgare dolores
Et curas, quibus est Academia saucia nostra,
Atq; gemunt subsellia, & undè hæc pulpita plangunt;*

Namq;

Namq; diurna rubent radiati ea lumina solis,
Ut, quoties intrant sub claro mane fenestras
Et dubiâ angustas extendunt lampade rimas;
Immensas toties distendant lumine curas
Infandumq; animos jubeant renovare dolorem,
Dum Lumen patriæ, (quo vix prælustrius ullum
Fulsit, & hic quâ se vertit Pomeranicus orbis,
Justiciæ sparsit radios atq; ingenij ignem)
Occidit, & longum noctantibus occidit umbris.

Sicq; ea fatali volvuntur tempora motu,
Quæ veniant æternum atris signanda lapillis
Dum ferali umbrâ obducunt, & nube malignâ
Usquè tegunt, jactat queis se Pomerania, terras;
Quando Patrem patriæ Illustrem virtute PHILIPPUM
JULIUM, honorato fulgentem Heroa decore,
Eripiunt terræ & reddunt sublimibus astris.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!
Nam decus Heroum, & specimen virtutis avitæ,
Ardua progenies Regum, Illustrissimus Heros,
Spes patriæ, optatus patriæ Pater ille PHILIPPUS
JULIUS, eternæ fulcrum pietatis, & illud
Dulce jubar Pomeranorum, Sol, Phosphorus ille
Quâ se longinquo mittit Pomerania tractu,
Illa Ducum Soboles, Illustris & illa Propago,
Cuncta Deo quæ celsa animi bona debuit, optans
Vincere prælustri dubios virtute labores,
Et patriæ esse Pater, timidisq; evincere rebus
Quæ meminisse juvet, mirentur & usq; nepotes:
Occubuit; Patremq; illum virtute serenum
Abstulit atra dies, inopino & funere merisit.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè

Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!
Nam, Duce quo quondam nitidissima fulcra Lycei
Fulsere; & multum succrevit gloria, sacris
Debita quæ Musis; atq; hæc Academia, sese
Quo duce jactabat, caput inter nubila condens;
Et Duce continuo quo pulpita tota sonabant,
Usq; timete Deum, qui Nato & Flamine sacro
Æquevis æternus agit, Monas & Trias una,
Personis distincta tribus, Deus unus & idem,
Omnipotens, sine principio, sine fine, locoque,
Qui pecudumq; hominumq; genus, vitamq; volantum,
Et que marmoreo fert monstra sub equore pontus,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,
Principio ex nihilo Verbo omnipotente creavit
Disposuitq; locis, dextrâq; potente tuetur
Ne pereant errentvè viâ, quâ pergere jussa;
Illum Heroa expirantem atq; extrema gementem
Vidimus & longâ claudentem lumina somno.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subinde
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!
Quo, vivebamus, Duce, sacrâ sorte beati
Et letabamur de cognitione Tonantis:
Et Duce quo, fuso quæ parta est sanguine Christi
Sufficiente lytro, & cœlesti chrismate sancti
Unctâ Paracleti, petrâq; imposta fideli
Hostibus exposita hic multis, Ecclesia sancta,
Nostra habili genetrix fotu veneranda manebat,
Deq; suo multas agitabat pignore curas,
Et dubios plenâ spe solabatur amores,
Nosq; hortabatur, castigabatq; beata
Præmiâq; addebat, perq; ardua verba docebat
Sacrum Evangelium, sanctâq; oracula legis,

Filius

Filius eterni que de Patris extulit olim,
Ipse sinu, una salus pendet nostra undè suprema,
Dux ille, ille Heros, patriæ Pater ille PHILIPPUS
JVLIVS, occubuit; quondam color, ora reliquit,
Ito, ito in lacrymas, Pomeranica terra! perennes
Nunc deserta ito in lacrymas Ecclesia mater!
Quo Duce, quod quondam his Evangelium fuit oris
Occultum, pulcras vires quæsiuit eundo; &
suggestum ascendit felix sapientia cœli;
Et doctrina Dei, parte hujus dixit in orbis
Quanta sit eterni in nos indulgentia Patris,
Quantus amor Christi, quàmq; aureus Halitus ille
Insinuans sacrum radijs ardentibus æstum, &
Corda renatorum percurrens Numine sancto;
Et, Duce quo, Christo præconia plena manebant,
Fasq; erat æthereos terris immittere mores,
Et procul hinc, procul indè feros avertere ritus,
Ejicere &, quorum præcordia spiritus ater
Horrendâ implerat stygij virtute furoris;
Dux ille, ille Heros, Celsissimus ille PHILIPPVS
JVLIVS, occubuit dùm præstans vita recessit.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!
Quo Duce ab integro seclorum ille ordo redibat,
Summaq; mundi ætas priscum currebat ad ævum,
Rectum Æquumq; prius cœlo scandebat ab alto,
Et mitescebant animi, atq; adamantina quondam
Cessabat gens, surgebatq; hoc aurea mundo;
Pacatusq; ibat compostis moribus orbis,
Finitimosq; inter vetus atq; antiqua similtas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus
Vsq; aberat; nec conscisso discordia crine

Tolle-

Tollebat stygium ad Superos caput, & quatiebat
Sanguineam infelix violentis lampada dextris;
Ille Heros, Pater ille Æqui & Justi, ille PHILIPPVS
JVLIVS, ante diem immaturis occidit umbris.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!

Quo Duce, sancta fides socijs regni, atq; potestas
Consortis patiens erat, & pia gratia, certa
Atq; fides sub lege homines sylvestribus antris
Eliciebat, ut unâ essent, animosq; ferarum,
Paulatim exuerent, jus sectarentur & æquum;

Quiq; suo exemplo subjectum in corde latentes
Pandebat virtutum ignes & semina veri,
Dùm reducem dabat Astræam terrisq; saloq;
Pergebatq; feros fastus luxusq; procaces
Tollere vel monitis, vel fœvâ exurere flammâ;
Dux ille occubuit; relliquit spiritus artus,
Astræe æternum luctusq; extendit in ævum.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Ito, ito in longos, Themis ô Pomeranica, luctus!
Quo Duce; ne Phalaris miscens sacra atq; profana
Omne ad se raperet, per fanda, nefanda, quod unquam est;
Monstrabat Justum grave Papinianus & Æquum,
Atq; sacerdotes legum nova jura ferebant
Lege piâ, & causas per dogmata sana novabant;
Ille Pater Themidos, legum Lex, ille PHILIPPVS
JVLIVS, extremas moriturus finijt horas.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Ito, ito in lacrymas, Panacæ cultor amica;
Corporis atq; salus, fletu, cui propria cura est:
Namq; Pater gravium Medicorum, ille optimus Heros,
Qui quantum humane poterant se extendere cura

Jam

Jam tūm acer sensus partem extendebat in omnem
Ne phtisis & putres vomica & Phlegetonica pestis,
Et nova continui turgerent semina morbi,
Adferretq; aliam veniens contagio labem;

Inde salutiferas monstrans medicā arte Machaon,
Atq; manu multā portans Epidaurius herbas,
Hoc Duce, vivebat nostrā venerandus in urbe,
Discebatq; etas primo maturior ævo
Reddere collapsas in pigro corpore vires,
Tollere Chiragram, medicando auferre podagram,
Pellere & belleboro morbum bilemq; meraco,
Currentem & mediā jam jam styge sistere cymbam
Et vetitam nautæ seniori avertere prædam;

Dux ille, ille Heros, Patriæ pater ille PHILIPPVS
JVLIVS, occubuit, Patriam civesq; reliquit!

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Ito, ito in lacrymas, tellus, Pomeranica tellus!
Cujus erat curas animus diductus in omnes,
Barbaries esset ne nostro turpis in orbe
Quæ linguas artesq; sacras & docta Lyceæ
Obrueret, Sophiamq; hinc & procul indè fugaret:

Indè, patens quæ se ditio Pomeranica fundit,
Quo Duce, Cecropiæ madidi Latiaq; Mineræ
Inveniebantur divinis artibus; atque
Castalias artes, Pphysicam Sophiamq; professi,
Atq; fatigantes crebro sermone quod aptum est;

Dux ille occubuit, feralibus occidit umbris,
Et patrio credet sua membra ferenda sepulchro;
Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subindè
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!

Cūm videas homines terrā non dispare natos
Ire in diversos curā famulante labores,

B

Hic

Hic dum gaudet equis, ovo prognatus eodem,
Dum pugnis; hic dum est castrensibus utilis armis,
Mercibus ille Italus gaudet mutare frequenter
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Dum satur hic pingui gaudet marcescere somno,
Indulget campo ille; hunc dum alea decoquit, ille
Usq; salutiferis sermonibus exhilaratur:

Hic, ne aliqua incautas caperet dementia mentes
Insidia, vis, atq; amor excæcatus habendi;
Quo duce, crescentes jam culturaq; capaces
Credebant Patres pueros clarâ arte magistris,
Quo teneræ inciperent ruditatem mentis inertem,
Ponere, & ingenij meliorem querere cultum,
Paulatim & vitia atq; errores exuere omnes:

Dux ille, ille Heros, Patriæ pater ille PHILIPPVS
JVLIVS, occubuit, se & somnis credidit altis.

Ito, ito in lacrymas, Patria ô miseranda! subinde
Æternas ito in lacrymas, Pomeranica tellus!
Dum tuus emoritur Dux optimus ille PHILIPPVS
JVLIVS, à priscis Heroibus inclytus ortus
Sanguis; dulce jubar, Sanctum exemplumq; piorum
Quondam adnascentum puerorum; altumq; sacrumq;
Illustris specimen, lumen, columenq; Juventa:

Quippè, salutiferi Baptismatis amne novatur
Præteritasq; Infans maculas in flumine puro
Abluere instituit sacrosancto in Nomine PATRIS,
NATI, vivifici pariterq; in Nomine FLATVS.

Hinc, postquam implerat primævi corporis annos
Et teneram fando poterat formare loquelam,
Ne pius ille canor mulcendas natus ad aures
Tantaq; dos oris, linguæ deperderet usum;
Jam modulabatur puerili carmina voce,

Carmi-

Carmina cœlestem nostrum resonantia Christum,
Factum Hominem, totis sperataq; gaudia terris.

Præcentor, Succentor erat Celsissimus Heros
ERNESTUS LUDOVICUS Dux-pater, inclytus Augur;
Quo sic, Illustris fuerat qui Sanguinis Autor,
Idem esset, sacros qui in Principe prole latentem
Adderet igniculos virtutum & semina Veri.

Sed, formidatus postquam senioribus annus,
(Quem patrum dixit proba κλιμακτηρα vetustas)
Illustrem patrijs inopino funere Patrem,
Eriperet curis, radianti inferret & axi;

Dives Avis, & utroq; Jovem de sanguine ducens
Illustris Genitrix, & regia nomina jactans
Illa SOPHIA HEDWIG, matrum lux alta piarum,
Sedula adæquavit defuncti nobile Patris
Officium, inq; stetit puero omnis Principe cura;
Dum curat Sobolem, & viduum hac solatur amorem,
Præsentemq; Patrem fingit sibi Prole relictâ,
Quam monet, hortatur, docet, & pia præmia ponit,
Et Patris exemplo, nascenti in corde latentem
Suscitât igniculos almae Pietatis & Æqui.

Dux moritur; primâ qui ubi parte viresceret ævi
Cultores animi doctos morumq; magistros
Audiit, & mentem studijs & rebus honestis
Intendit, pueris exemplum illustre futurum.

Hinc ubi dante Deo, pulcro & famulante labore
Natus erat, quod Pythagoras, schola quodq; Platonis,
Quodq; Stagirites, mens & quod celsa Ibaletis,
Dixerat, attento auscultare & discere sensu;
Ipse memor, Genus ingenium quod adaugeat altum,
Et mens sublimis supra Genus exeat ipsum;
Excellent Academiacas novus hospes ad oras

Accessit, quo alto se pectore cuncta vetustas
Conderet, & major collectis viribus iret.

Lipsensis fulget præclarâ Academia famâ,
Laudibus in longum felix dimittere seclum.

Qui super & titulos, & ævite laudis honores
Scandere, præsumunt nomenq; extendere factis;

Vidit, & ut vidit, mirata est simplicis ignes
Aurai; & citò dixit, eris Meus; inclyte regum,

Sanguis, dixit, eris Meus: ut visq; affore verbo
Possit, tempus erit, Clarijs habitacula Musis

Credita, quo nostri sint exornanda trophæis
Principis, huc Pomeranorum qui Celsus ab oris

Venit, & augusto illustrat subsellia fotu.

Nec mora, Magnifici venerandas muneris indè
Delitias gustat Dux noster; & Auspice Christo,

Prælustri R E C T O R Lipsensis sancta Lycei
Sceptra gerit, felix auditq; Academicus Hercules.

Quippè, erat ætherei almâ opus hic ope Numinis; atque
Cœlestis cunctorum hominum rerumq; repertor

Auxilijs aderat præsens Illustribus ausis,
Præsentiq; Ducalem animum bonitate fovebat,

Principis ut victrix esset sapientia mundi, &
Omnibus humanis potior prudentia rebus.

Hinc, sincera fides, & mens non conscia quenquam
Deserere in gravium positâ statione laborum,

Adfuit auxilijs præstò prælustribus actis,
Ingenio, genio, eloquijs, ope conciliorum

Adjuvit, quoties majora negotia rerum
Et formido recens, & inevitabile fatum

Ortum est, quod curvaret humi, & malè frangeret artus.

Cuncta locum fecit pulcrè sortita tenerent,
Et felix esset studiorum legibus ævum.

Indè

Indè per immensas famâ celeberrimus urbes
Vocali & clarus pervenit carmine Princeps:
Et penitus quid vellent, & quid ferre negarent
Eusebia, Eunomia & Panacea, atq; inclyta Pallas,
Imbibit, & vigili servavit mente repostum.

Hinc, postquam imperium Patriæ, patriumq; tridentem,
Concedente Deo, accepit; consortia tecta
Et regere incepit, populos & jura per omnes
Dividere est orsus, viam & affectavit Olympo:
Divinis rexit res Musarumq; hominumq;
Imperijs; pulcrâ tenuit ditione Camænas,
Consilia in melius retulit, fovitq; benignè
Sacra Cultores Musa, gentemq; togatam.

Hoc Duce, quâ vertit se Patria terra, fuerunt
Queis erat imposta à Phisicis custodia rebus,
Quiq; tenebantur natura inquirere causas,
Et quid quæq; ferat regio, & quid ferre recuset,
Vivida quidq; queant multarum semina rerum,
Ozymon, acre Apium, Lapatum, Puccinia, Anethum,
Daucus, & Andrachne, Amniapiastrum, Urtica, Melanthum.

Hoc Duce; ut ampla esset puero data copia fandi;
Verborum inq; ipsis resideret gratia labris;
Grammatici certis retulerunt jura figuris,
Et quid quæq; ausit vox, quidq; audere reclinet,
Gratia ne desit, neu desit lucidus ordo.

Hoc Duce; Doctores Logices retulère sagaci
Mente, ut judicium fiat, quid reddat acumen,
Atq; oculis hominum nebulas abstergeat atræ,
Ut velut Ægides comitantia fila secutus
Ardua paulatim Minoidos atria Cretæ
Transiit, superasq; redux pervenit in auras;
Sic, caput Aonias cupiens efferre per artes,

Fila sequenda trahat, pia quæ Dialectica præbet
Una Ariadna viam monstrans ad Apollinis arcem.

Hoc Duce, sunt Juvenes mirati Rhetoras, olim
Servire ut possent causis; ubi tristia, mæstum
Vultum, verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentes, urbana; severum, seria dictis.

Quippè, ars efformat prius omnes intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram
Aut ad humum merore gravi deducit & angit:
Post effert animi motus interprete linguâ,
Ut sic actio idem monstret quod sermo recepit.

Hoc Duce, currentis viguit tractator Arithmi
Qui calculum & digitos, numeroq; carentis arena
Agnovit numeros; qui prænumerare repertus
Quantulum id, hic quo natura & ratio ipsa quiescat,
Dummodò ficta fames non major ventre sit ipso.

Hoc Duce, signavère alij labentia celo
Sidera, & effigiem variarum in membra ferarum
Addidicere. sciunt Boream ut signaverit Arctos,
Arctophylax, Aquila, & Telum, Cepheusq; Lyraq;
Et medium ut flexo præcingant ordine Cælum,
Verna Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces:
Et velut hinc longo tractu vertantur ad Austrum,
Cetus & Eridanus, Lepus, & nimbosus Orion,
Sirius & Procion, Argo ratis, Hydra, Craterq;
Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corollaq;, Piscis.
Et ceu per medium septem declive ferantur
Saturnus, Sol, Luna, Venus, Mars, Juppiter, Hermes;
Ut pergantq; errentq; viâ, quâ pergere iussi
Quo sit reptilium, pecudumq; hominumq; propago.

Hoc Duce, sunt alij mirati arcana profunde

Histo

Historia, qua sola annos & tempora nobis
Præterita, & præsci memorans insignia mundi
Suggestit, ignavis quicquid longæva vetustas
Gestorum tenebris tegit, & caligine volvit
Immensòq; situ atq; altis premit improba lustris.

Hoc Duce, de virtute alij sunt more locuti
Socratis, aut Senecarum, aut summi more Catonis.

Ite, ite in lacrymas Habitacula sancta Camæna,
Vos Fora, vos Plateæ, vos Tempia, Scholæq;, Domusq;,
Pulpita cum Cathedris, Suggesta, Altaria, Tecta;

Tuq; adeò miseranda altum, Pomeranica tellus,
Funereum Patriæ Patris, ab! comitaris honorem;
Ito gemens, largòq; humectans flumine vultum,
Et totum te solve alto, pia Patria, luctu.

Quo Duce, doctrinâ culti, fretiq; juventâ,
Dùm melior sanguis dat vires, emula nec dum
Temporibus geminis canescit sparsa senectus;
Illi habiles juvenes Academica templa subibant
Et pervolvebant sinuosa volumina Phœbi,
Et cedris digna æternis monumenta Sophorum;
Aut alij mentem ad cœlestia sacra ferebant;
Aut alios impellebat gravis impetus, alta
Adjura & leges, doctasq; Machaonis artes; &
Quo Duce, quos angusta domi res tristè premebat,
Hic reddebantur mensæ communis alumni;
Illum Heroa, illum Musarum Heroa-columnam
Abstulit atra dies, & funere merisit acerbo.

Ito, ito; lacrymas verba inter singula funde
O tellus miseranda! cor & tua vita PHILIPPUS
JULIUS, in longos occlusit lumina somnos.

Ille, ille in longos occlusit lumina somnos
Cujus ubi genij integritas, & candida sensus

Atq;

Atq; augusta animi probitas, sanctiq; recessus
Cordis, honoratis ceperunt noscere signis
Et varijs gravium ex rerum prædiscere causis,
Quod malè per populos regnantia jura ferantur,
Ponanturq; viris leges, operumq; labores
Partibus æquentur fixis, aut sorte trahantur,
Si desit, quæ sola artem, experientia, fecit
Per varios usus, per diversos Labyrinthos;

Hinc Regum annales, multaq; evolvere plenos
Historiæ libros, vatumq; poemata cepit,
Quæ benè, quodq; Parens, & quod pallefcit Amicus
Dicere peccatum, seu plebs sis, sive potente
Natus Rege, palàm tibi narrant, atq; in apertum
Ponunt, excutiuntq; animos sub vulpe latentes.

Hinc legere incepit Chronicorum scripta sacrorum,
Legit uti Amramides radiatus tempora clara
Ardenti vultu, famâ super æthera notus
Dilectam DOMINO primævâ ab origine gentem
Per mare, Erythraeum deduxerit auspice Christo.

Legit uti David fratrum ultimus, & modò Jesse
Cura gregis, Sitharam formans ad ovile paternum,
Indè ad delicias Regni iiverit, horrida bella
Gesserit, & fundâ magnum stridente Cyclopem
Præcipitem dejecerit, & prostraverit hostem.

Legit in Æneâ hinc quid Princeps possit & illi,
Magni Heroum animi, ipsa ætas quidq; impigra possit;
Quorsum eat ingentis constantia magna Latini,
Quò pietas Lausi, quorsum Mezentius audax;
Quidvè benigna fides possit, laudisq; cupido,
Quidq; Ducum clementia, & inclementia Regum,
Quid queat & latè imperitans numerosa voluptas.
Et quod sæpè lacus, variam & tranasse paludem,

Et

Et terrâ atq; mari subijſſe pericula, crebrò
Sit longè melius, quàm dulcia carpere, nardo &
Tingere molle caput, Tyrio & ſplendescere in oſtro;
Indè Ducali animo melior ſententia ſedit,
Externam placuit peregrinam & viſere gentem:
Tantum accepit, CHRISTO Duce & Auspice CHRISTO,
Fatorum Comites, poterant qui ſtemmate longo
Cenſeri, & piètos Majorum oſtendere vultus,
Et monſtrare viris incoctum pectus honeſto;
Inter quos Bernhardus erat Bugghhoffius, atque
Inter-Eraſmus-erat Kuſſovius, arte celebris,
Majorum & virtute potens; Themidosq; Sacerdos
Fridricus noſter Gerſchovius ille PHILIPPI
JVLII, & Illuſtris ſenſus formator amicus;
Et varia Comitum facies, & cœlicus ordo
Ivère unà; ipſe ante alios pulcerrimus omnes
DUX ſeſe intulit his Socium, pia & agmina junxit,
Ingreſſusq; viam; Patria exoptata reſeſit.

Mox Meglapyrgiacas hoſpes ſuccedit in oras
Atq; ibi Juſticiâ & Pietate in Pace regentem,
Bellorum procul à ſtrepitu, & ſine ſtrage, ſine armis
Suſpiciit ULRICUM magnis Heroibus ortum.

Inferioris abhinc fœcundum Saxonix orbem,
Vidit; & Illuſtrem divino ſanguine Regum,
Heroa aſpexit FRANCISCUM in pace foventem
Subjectas gentes, blandâ & ditione tenentem
Terras, ponentemq; viris pulcerrima jura.

Hinc regio cultiſſima Brunſvicenſis habetur,
Dives opum, felix ſacrâ gravitate regentium:
Quam jam tum præſtans HENRICVS JVLIVS Heros,
(Cui genus à proavis ingens, clarumq; paterne
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis)

C

Impe-

Imperio explebat, patrium mittebat & orbem
Æternas sancti sub leges Juris & Æqui.

Quippè, viam sublimi arte affectabat Olympo;
Arte per immensas Clariâ celeberrimus oras,
Arte potens, & Jure potens Dux, Phosphorus orbis.

Quippè, viam rutilo Marte affectabat Olympo;
Marte, erat in populo quæ sæpè coorta tremenda,
Seditio, benè composuit, pacemq; paravit.

Cujus cùm studio nomen memorabile, & armis
Majestas esset longum porrecta per orbem
Illustres animos nostri Ducis impulit, hospes
Iret ut, aspiceretq; infractum pectus, & illud
Pieridum lumen, grave præsidiumq; suorum,
HENRICUM dico Dominum cognomine JULIUM.

Venit, & ut venit Phœbum, comitesq; novenas
Invenit Musas, in principe corde latentes;
Principem & invenit, qui esset benè dives agrorum,
Dives opum, terras quo non possederat alter
Latius, aut melior fuerat fulgentibus armis.

Vidit, & ut vidit, Dux est miratus habendis
Ut deceat tutas castris deducere fossas,
Qualiter adversos hosti & desigere nervos,
Atq; locum ducto servandum claudere vallo.
Militiq; Togæq; unâ sic noscere sensim,
Divinas potuit Dux noster Maximus artes.

Hinc velut extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes;
Sic, postquam imperij cognoscere ceperat artes,
Nosceret ut penitus sumpti compendia sceptri,
Molitur tellure iter, & molitur in undis
Ulterius, vitam & parat objectare procellis
Et novus ignotas hospes porrò ire per oras.

Ergò õg

Ergò progreditur pulcrâ stipante catervâ ;
Nulla mora , in letas via ducit Saxonix urbes :
Excelsi Heroes , prælustre Deum genus, adsunt
WILHELMUS-FRIDRICUS, ut & Dux ille JOHANNES,
Nec non JOHANNES-ERNESTUS, sceptrâ vibrantes
Quâ sese torquent divini Saxonis ora :
Atq; salutatum placido clamore PHILIPPUM
JULIUM eunt , nostrâ Patriâ Heroa usq; verendum.

Conveniunt, regni de rebus agunt, & amicè
Nunc hinc nunc alibi regali splendida luxu
Instituunt, medijsq; parant convivâ tectis ;
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq; ministrant.

Vescuntur ; postquam atq; amor est compressus edendi,
Certatim instaurant sermonem, atq; omine magno
Indè vebuntur equis; tremulas vibrata per auras
Hæstarum quatiunt stridenti spicula motu:
Et liquet hinc, ut equis & præstent cestibus, atque
Quid possint armis longèq; volante sagittâ.

Pòst ubi tempus erat dictis excedere terris,
Multiplici egreditur noster comitatus Achate
Dux pius; acceptatq; viam, quâ semita monstrat ;
Jam modò in has vadit terras, modò vadit in illas,
Donec, ubi plenis tellus jacet Hæssia campis,
Adveniat, letoq; altum clamore salutet
LUDVICUM, patriæ Patrem, lumenq; Bonorum, &
Delicium grave Musarum, columenq; suorum,
Cui propior juncto de sanguine Juppiter exit
Et genus à proavis ingens, Illustreq; nomen :

Instructis ubi adest mensis convivâ vocatus,
Quid velit imperium, quid contrâ ferre recuset
Sedululus exquirat, legesq; statutaq; discit,

Doneq̄ facta dies doceat decedere, & indè
Diversos penetrare sinus, atq̄ intima regna
Visere, quæ Burgundia alit, Lotharingia nutrit,
Alfatia acceptat, divesq̄ Helvetia signat:
Ut sic adveniat sociâ comitante catervâ,
Et; quod dives agris, satis auro dives, & æstro
Dives, opum dives pulcherrima Gallia monstrat;
Omne illud, volvens huc illuc lumina, totum
Aspiciat, Regnumq̄ oculo propiore pererret.

Dexter adest, quid Marte, quid Arte, & Moribus aureis,
Quidq̄ opibus, gazis, & honoribus inclyta possit
Gallia; centenis & uti ardua tecta columnis
Incumbant, & quàm laxas gravis arca flagellet
Divitias; præsens videt, atq̄ obit omnia sensu.

Aspicit excelso regnantem culmine Regem,
Divitem avis, & utroq̄ Jovem de sanguine habentem
HENRICUM QUARTUM, Regem, exemplumq̄ Bonorum,
Imperijs celsos quos ingens conspicit orbis.

Aspicit; & positus Regali ex ordine mensis
» Accitus conviva venit: genialibus altis
» Lucent fulcra toris, epuleq̄ ante ora paratæ
» Regifico luxu: strato discumbitur ostro,
» Dant pueri manibus lymphas, Cereremq̄ canistris
» Expediunt, tonsisq̄ ferunt mantilia villis:

R E X Pius, imprimis multis convivia dictis
Exhilarat; quid in Imperio prudentia, quidque
Integritas possit, propriâ sub imagine signat.

Vidit: & antiquos ritus, moremq̄ vetustum
Sacrorum Druidæ vidit, nemora alta remotis
Qui lucis habitârunt; queis autoribus, umbra
Non tacitas Erebi sedes, Ditisq̄ profundi
Pallida regna petunt; regit idem spiritus artus

Orbe

Orbe alio; longa media est mors optima vita;
Vnde viris mens prona ruendi in ferrum, & iniquum
Ignavumq; quid est reditura parcere vita.

Viderat: & post vela jubet dare turgida ventis,
Atq; Britannorum conscendere navibus equor:
Incubuit pelago, venitq; ad littora salvus;
Et didicit, queis se memoranda Britannia jactet
Aucta opibus, fortesq; animis complexa colonos.

Qua postquam vigili lustrarat singula visu,
Consilijs habitus non inutilis adfuit autor:

Dixit & ; o Princeps, claris virtutibus altum
Exequare optas nomen: mea percipe verba;

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,

Terra antiqua, potens armis, atq; ubere gleba,

Oenotrij coluere viri; nunc fama, minores

Italiam dixisse, Ducis de nomine gentem;

Inde licet capias divina exempla regentum

Opportuna tuis, patrieq; faventia terris.

Dixerat: atq; Duci superest animosa voluntas;

Ipsaq; nescio quid mens excellentius audet:

Per varios casus perq; alta pericula rerum

Italiae fato novus hospes fertur in oras.

Imperium gentis discit, miraculaq; haurit.

Plurima natura, & docta artis plurima: namque

Cingitur urbs Venetum nummis ditissima ponto;

Est Mediolanum jucundum, nobile, magnum;

Excellit Clarijs faecunda Bononia Musis;

Splendida solertes nutrit Florentia cives;

Taurinum exornant virtus, Pietasq; Fidesque;

Militibus validis studiosa Perusia claret;

Litibus imponit finem Macerata supremum;

Odit mundanas syncera Novaria fraudes;

Virg. lib. 1. Aeneid.

Extollit Paduam Juris studium & Medicina;
Sanctaq; Sanctorum vult dici sanguine Roma:
Dixerit Italia sed quis rata commoda gentis
Quamq; fiet gravida imperijs belloq; superba?
Vidit; & in pratis uti apes astate serenâ
Floribus insidunt varijs, & candida circum
Lilia funduntur, libantq; tenacia mella,
Atq; salutari distendunt nectare cellas,
Pestiferam cœci rabiem relinquuntq; veneni
Ull Draco vel Serpens legat, aut mala vipera libet;
Sic genij integritas postquam Ducis alta PHILIPPI
JULII, ab Illustri nascentis origine vitæ
Jam legere & quæ sit poterat cognoscere virtus;
Atrium ejus melior virus natura diremit
Virtutemq; malo, & virtute malum abscidit omne, &
Toxicum ab egregio secrevit jure venenum,
Quo misera quondam Patriæ succurreret, atque
Consilijs præsens Pater auxiliariis esse, &
Possit abhinc fessis Pomerania surgere rebus.
At jam tempus erat peregrino abscedere mundo,
Et sese Reducem patrijs inducere regnis:
Vt quas ambages, & quæ discrimina, divus
Hospes pertulerat; proventu divite, eorum
Patria præsentem ferret Pomerania fructum
Et nova in acceptis sentiret commoda regnis;
Vndè ruit portis, nusquam mora, præside Christo,
Pergit, & Italica terræq; urbescq; recedunt;
Jamq; pererratis propè finibus Austriaci orbis
Occurrit multo comitatu, maximus ille
Nomine reg; Heros MAXIMILIANUS, honore
Maximus Archiducis, famâ super æthera notus.
Hic mihi si linguæ centum essent oraq; centum

Nos

Non tamen eloquerer quanto constructa paratu
Curarit fieri convivium regia, quoque
Contulerit varijs regni de rebus amore, &
Quo Marte atq; arte hastarum vibrata per auras
Nunc eques inde pugil dederit sua spicula uterque.

Telo exercitium invadunt atq; ere sonoro,
Dat gemitum tellus, tum crebros ensibus ictus
Congeminant, fors & virtus miscentur in unum.

Illustremq; Ducem nostrum defendit in armis
Certandi gravitas re nescia cedere cuiquam,
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant, manet illa, suoq; est pondere tuta:

Unde etiam tanto Victori munera larga &
Certa manent; pariter victricis premia dextra
Accipit, & flavâ caput exornatur olivâ:

Pannonius passim gelidas disiectus in Alpes
Vidit id, obtutuq; hesit defixus in uno.

Sic memoranda animi dederat documenta Ducalis;
Quæ postquam Archiducis Majestas viderat, altum
Admirata stetit, cepit bona dicere verba
Nascentiq; Viro linguis animisq; favere,
Et sibi adoptando propiori fœdere pergit
Jungere tantum Heroa, orbis decus usque futurum;
Fit Pater ex lege ille, ex lege hic Filius audit,
Æternumq; bibunt vitæ communis amorem.

Hinc trahit ambigua Illustrem sententia mentem,
Heret, & est anceps; quâ sit sibi nescit eundem;
Certus Adoptivi Patris trahit, & trahit idem
Largus amor propriæ Patriæ, aliorumq; Penatum.

Sese inter pulcro hi dum Affectus impete certant,
Vincit amor Patriæ, revocat Pomerania Patrem
Et jubet Austriaco penitus decedere mundo.

Ardet

Ardet abire viâ, peregrinaq̄, relinquere tecta
Jam; quando unâ avidus discendi, avidusq̄, videndi
Dilectos Patriæ fines, habitacula avita;
Hinc, desiderium noscendi plura, vidisses
Et Patriæ, sese colluctari inter, amorem;
Non secus, in digitos ac quando arrectus uterque
Constitit, ad superasq̄, interritus extulit auras
Brachia, decertans, omniq̄, à parte laceffens.
Illi inter sese placido discrimine sensus
Decertant, positâ ancipites excedere pugna;
Quando Pater Patriæ nostræ, Dux ille PHILIPPVS
JVLIVS, inceptam properat decurrere metam;
Et, quales dulci è pastu jam nocte propinquâ
Florilegæ referuntur Apes, ubi olentia noctæ
Pascua, per flores dubiæ & thyma summa feruntur
Longius, & calices, & lilia proxima libant;
Talis erat, terras alieno sole calentes
Dùm noster linquit Dux, Illustrissimus Heros;
Fertur equis, animum nunc huc, nunc dividit illuc;
Obvia siq̄, ferunt sese vestigia rerum,
Æternis jam digna cedris, & digna coturnis,
Insequitur, vicinum orbemq̄, indagine lustrat,
Indè per ambages, docilisq̄, pericula mentis
Respicit & latè studios Vindamq̄, Lycumque
Miscentes undas, & nomina littoris, undè
Antiquam gentem, populumq̄, urbemq̄, vocârunt
Vindelicam: Gens, Duxque, Ducem clamore salutant;
Et postquam in thalami pendentia pumice tecta,
Perventum est, epulas & pocula plena reponunt,
Et vario sermone trabunt noctemq̄, diemq̄,
Discentes patrûs quid rebus proffit & obsit.
Indè ubi discedunt; terram omnem urbemq̄, salutant,
Quæ

Quæ merita audiri exstabat virtutibus, almi
Filia Mercurij, Soror & quæ Pallade digna,
Quæq; haud Germanis erat ulla celebrior oris,
Seu leges spectes, seu sancti Jura Senatûs.

Vidit: Dux vidit sociatos fœdere cives;
Vidit &, Artifices claros, æquandaq; priscis
Ingenia; & varios Juvenumq; Senumq; labores
Vidit; &, in quantum, fuit admiratus, ubiq;
Cœlica mortales armet sapientia mentes,
Dùm rerum Fato prudentia major habetur.

Vidit: Et, ut lectis exercitus obstrepit herbis
Mellifer, hinc pastu ut referatur, in antra reverti &
Melle novo mitis videat gravidam Hybla catervam;

Non aliter latè peregrinas viferat oras,
Et multum, præter proprium, cognoverat orbem,
Dux Pomeranorum Illustris virtute PHILIPPVS
JVLIVS, ut patria per se florentis imago
Luceret major; meritasq; anteire secures
Majorum posset, Christo duce & auspice Christo,
Quando Redux patrijs esset jam redditus agris,
Et sacra per populos cepisset reddere jura.

Spesq; erat illa hominum fati sitibunda futuri,
Quæ Pomeranorum tellus se Patria fundit;
Vndè Duci Reduci linguisq; animisq; favendo
Ad sacra templa refert letus solennia dona
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ, &
Immortale sacrant votum summo prece Christo,
Quo regat, atq; adsit præsens ingentibus ausis
Et foveat pleno præcelsam Numine mentem
Et relevet quæcunq; ferant mortalia sæcla.
Sic illi; ipsum ultrò Numen sacrum aspicit, undè
Vsq; Deo acceptus penetrat super æthera nidor.

D

Sunt

Sunt alij, Reduci indè Duci qui in limine lætos
Constituunt tauros, pleno & munuscula cultu
Apponunt, bilares & vina liquentia fundunt.

Indè B U G I S L A V S, Numen terrestre, Ducatus
Quà Stetinensis magno sese ordine torquet
Egregijs Princeps animis & mente serenus
Ipse salutatum læto clamore, verendos
Mittit Legatos, mittit super æthera notum
Famâ Oratorem, MARTINVM mittit honorum
CHEMNITIVM, Eunomie Doctorem, altumq; Themisten
Et jubet Illustrem ut venientem in regna propinqua
Instituât monitis animum, præceptaq; donet:
Quo lustret Christo, meritosq; indicat honores;
Quo Civem Patremq; gerat; qui consulat Omni,
Non Sibi; quem Sua non flectant, sed Publica vota;
Cui Musæ curæ, & castæ sint Pallados artes.
Ne quondam æthereis quæ sunt habitata Camœnis
Palladia, impuris porcis habitanda locentur.

Dixerat hæc: Princeps æquis monita auribus hausit,
Annuit; unum & idem est votum, pia Gloria Christi
Atq; Ecclesiola nitidissima commoda crescant;
Et sacrum in amplexum Justumq; Æquumq; ferantur,
Quo redeat stabili complectens omnia nexu
O rerum mistiq; salus concordia mundi,
Et sacer orbis amor, vita atq; habeatur inermis.

Audijt Omnipotens, rerum cui summa potestas,
Pars & nulla fuit votorum vana piorum;
Ipse dedit, quicquid voluere; benignus Iesus
Adfuit ætherei pia per molimina Flatus,
Et dedit incoctum generoso pectus honesto,
Inq; Palestine duxit nitidissima tempe;
Et circum sumptis cum gens sibi consulat armis,

Fecit,

Fecit, ut immanis fera munera militiai
Per maria ac terras nostras sopita manerent,
Et se mortales tranquillâ pace juvarent.

Magnus erat CÆSAR pugnis, dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorq; coactos
Per populos dat jura, viamq; affectat honoris
Dum sua terrarum Dominos sub sceptrâ Quirites
Attrahit; & pleno pugnanti Marte resistit
Undè venit Titan, & nox ubi sidera condit.

MAGNVS ALEXANDER re, nomine & omine multo
Magnus erat, postquam terras ditione tenebat
Et clypeo gladioq; Macedoniâq; sarissâ
Undiq; surgentem pariter pariterq; cadentem
Terrebat mundum & multâ vi bella movebat:
Et tantos angusto animos in corde gerebat,
Ut cum, munitio uno hoc domito & sub flagra redacta,
Audierat, superesse alios trepidante domandos
Excidio, & multo subigendos milite Mundos,
Extremo gemitu steterit gravis, atq; dolere
Sit visus, secum finemq; orare malorum.

Magni ipsi, ipsorum permagna potentia fulsit:
Sed fuit ipsorum quo facta potentia major;
Hocce clienti aliud majus, multoq; tremendum
Objectum magis est, mortalia pectora turbans.

Namq; fuere illi quod magni, sanguine magni
Fundendo humano funesta per arma fuerunt;
Undè etiam movere citi mare, sidera, terram,
Humanumq; genus: totusq; perhorruit ether.

Magnus Alexander, mundus cui non satis unus,
In portam rigidam calces extendit, & urnâ
Mox tenui tegitur, foveâq; absconditur unâ,
Quiq; orbi horror, ei sit vermis terror & horror.

Et, quo major erat Cæsar trepidantibus armis,
Hoc magis infesto majoreq; vulnere pressus
Occidit, & sentit juncturas verticis ictu
Ruptas, in liquido titubantiq; ossa cerebro,
Viginti atq; tribus dum vulneribus cadit ictus.

Scilicet; hi sibi, non populo sua sceptragerebant,
Sanguine gaudentes; mens quorum tigride peior
Contemptrix superum, sævæq; avidissima cædis
Et violenta fuit: quare quoq; facta tyranni
Cujuscunq;, reservavit capiti generique
Ille Opifex rerum, summi Regnator Olympi.

At contra; Pater Illustris, divine PHILIPPE
JULI, Flos venerande Ducum, atq; Medulla bonorum,
Tu quanto major magnis sævisq; tyrannis
Esse potes, quando gaudenti rure paterno
Est populus tibi, quem pax aurea sublevet, atque
Quem sua libertas amoto milite pascat,
Gaudeat & multum, & felici floreat ævo.

Vnde etiam nullis hominum cogentibus, omne
Sponte sua optandum veluti de fonte perenni
Fluxit; amica Quies, Justumq;, Æquumq;, Bonumq;
Inter se æterna coire in fœdera pacis;
Fixeruntq;, sibi luctantiaq; oscula dederunt,
Compositasq; manus ad mutua colla tulerunt
Mistaq; blanditijs junxerunt verba salutis.

Non fuit, hanc Patriam turbans vertensq; tyrannus
Instans terribilis divi- morientibus hæres.
Non thalamis fuit ingenuis metuendus adulter;
Divitibus fuit haud nox, haud metuenda diesq;
Fixus nemo toro tacitâ formidine sumpsit
Carnifices epulas, incertaq; pocula pallens
Hausit, ibi intentos capiti conspexit & enses.

At

At nunc, dum circum patet atri janua Martis,
Et formidandum campo manet agmen aperto,
Infandæq; acies, & latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, atq; horrida miscet
Prælia; & infelix medijs mors errat in armis,
Vulneribusq; crebris fluit ater corpore sanguis;

Ille Pater Pacis, Numen terrestre, PHILIPPUS
JULIUS, emoritur; compressis eripit ille
Huic pedibus Patriæ, quæ quondam æqua oscula ciebat.

Ito, ito in lacrymas, domus ô miseranda! perennes
Infelix ito in lacrymas, Pomeranica tellus!

Dux pius, aversos solitus componere amicos,
Et cum finitimis tutæ inviolabile summis
Regibus & Ducibus pacis conjungere fœdus;
Occidit; has terras inopino funere turbat.

Ito, ito in lacrymas tellus Pomeranica! flecto!
Flecto Patrem amissum! JULIUM deflecto PHILIPPUM!

Induperatores, & clari sanguine Regum,
Et genus à proavis quibus ingens, sanguine longo &
Qui censebantur, pictosq; ostendere vultus
Majorum quotquot poterant ab origine divi,
Quem mirabantur Patriæ Patrem antè PHILIPPUM
JULIUM: & ingentes animos super astra ferebant;

Induperatoris vice plus quàm simplice, Eois
Quem antè salutatum venit Legatus ab oris;
Perficus extremis & quem Legatus ab arvis
Antè salutavit fausto clamore, supremi
Consilia expediens Regni, & sacra jussa Monarchæ;

Quem Regumq; Ducumq; gravis præsentia, multum
Felicem statuit composito fœdere; quemque
Finitimi extremiq; imis à finibus orbis
Nuncius, egregio latè dignatus honore est

Scitatum accedens Ducis illa oracula nostri, ut,
 Consilio summis regni de rebus habendo,
 Consulere in medium, & posset succurrere fessis:
 Ille, ille occubuit; mortali corpore sese
 Solvit, & aethereos in tractus vita recessit;
 Ito, ito in lacrymas, domus ô miseranda! perennes
 Ito, ito in lacrymas, tellus, Pomeranica tellus!
 Heros; aeternis Heroibus inclytus Heros,
 Rex orbis, Rex idem hominum, Nutritor & Ara
 Quâ se suppositum stellis Erymantidos Ursa
 Fuge solumq; salumq; agitâtq; atq; agmine torquet,
CHRISTIANUS QUARTUS, cui paret Danicus orbis
 Subjectus stellis nunquam tangentibus equor;
 Quem secum augustâ voluit consuescere mensâ,
 Precipuumq; toro & villosi pelle leonis
 Convivam accepit, folioq; locavit eburno;
 Communemq; Ducis cujus servavit amorem,
 Saepius & quicum regni est de sorte locutus;
 Regalesq; animos monumenta loquentia, multo
 Auro dona tulit gravia, exsecroq; elephanto;
 Illum exspirantem fidi, atq; extrema sonantem
 Viderunt socij, atq; inopinâ morte solutum;
 Ito, ito in lacrymas domus ô miseranda! perennes
 Ito, ito in lacrymas, Pomerania, patria tellus!
 Dux tuus, Heroum sanguis, Dux ille **PHILIPPUS**
JULIUS, ille hominum Plausus, Pater, atq; Amor ille,
 In pace, & belli à strepitu procul usq; gubernans,
 Ut securæ agerent altè otia mollia gentes;
 Cujus delictum multis prodesse, nocere
 Et nulli; cujus zelus sub pace profusi
 Sanguinis humani injustè justissimus ultor:
 Cujus, ne qua solum damna & dispendia nostrum

Sen-

Sentiret, grave delictum fuit, agmine facto,
Ingenium quibus est immansuetumq; ferumque
Immanes tigres, iracundosq; leones
Cumq; lupis ursos, & pictas tollere lynces
Dum plaga stat posita, & lato venabula ferro,
Terrentesque ruunt equites, & odora canum vis;
Ille, ille occubuit Dux Illustrissimus, atque
Cernimus illius simulachra carentia luce.

Ito, ito in lacrymas, Domus ô miseranda! perennes
Ito, ito in lacrymas; amissum, Patria, fletu:

Cujus in amplexus pulcerrima venerat AGNES,
AGNES Nympha; Deum generoso sanguine quondam,
Marchiaco Dea nata solo; Heroïna; potentis
Principis & Soboles, & Magni Principis Uxor,
Cum quâ & viginti feliciter egerat annos
Facundos multum, (fœcundi ô siq; fuissent!)
Et dederat gratans cum dulcibus oscula verbis;
Ille, ille occubuit Dux conjunx; mœsta Ducissa
Illa affusa jacet tumulo, signataque saxo
Nomina mœsta premit, lacrymas in nomina fundit
Complexa amplexu, lacrymasque per oscula siccatur:

Ito, ito in lacrymas; domus ô miseranda! perennes
Ito, ito in lacrymas, infelix Patria terra!

Quem Patrem latè regnantem & sceptrum tenentem
Et disponentem patrium sacra jura per orbem
Illa SOPHIA-HEDWIG, sancta Heroïna, Parensque
Conspexit Gnatum, sceptro illustriq; beatum,
Et bona verba cui dixit, linguisq; animisque
Cui favit, longosq; Deus ferat, addidit annos;
Ille jacens pronus Matri dedit oscula lecto
Extremumq; Vale dixit, mœstum Vale dixit;
Dum mediâ Matris cecidère abrupta Juventâ.

Gau-

manu jussit Atropos annos.

*Ito, ito in lacrymas, domus ô miseranda! perennes
Ito, ito in lacrymas, Pomerania terra! PHILIPPUM
Voce cie! altâ voce, PHILIPPE, PHILIPPE, PHILIPPE
JULI Heros! Pater alme, PHILIPPE, PHILIPPE, PHILIPPE!
Ab! Patrie sic vita peris! scalpente vel altis
Ung uibus è gelidâ tellure imoq, barathro,
Siccine vita peris Patrie, alme PHILIPPE, PHILIPPE!*

*Siccinè cui letam latè sobolescere gentem
Ab! sperabemus, generosi pignora lecti;
Illustri quò esses post funera prole renatus,
Quæ longo imperio patrijs & legibus orbem
Impleret, sospes Patriâ & dititione bearet;
Siccine tu sine prole peris, sine prole Parente
Mansurâ Patrie, alme PHILIPPE, PHILIPPE, PHILIPPE!*

*Ito, ito in lacrymas Pomerania, Patria dulcis,
Usq, Patrem supero jam cassum lumine luge:*

*Aspice, dùm tua testari satis baud potes unquam
Damna, & venturi dispendia discere fati,
Ventorum ut flatus suspiria plena gemiscant,
Magnus Hyperboreis Aquilo & translatus ab oris
Suspiret flabro horrescente, PHILIPPE, PHILIPPE!*

*Aspice, dùm tua non testari incommoda luctu
Atq, potes gemitu, circum, Pomerania, quæ stent
Principe fato uno extincto hoc, tua limina tota;
Ut fragor & densi fundantur ab æthere nimbi,
Barba gravis nimbis, canis fluat unda capillis,
Fronte cadant nebulae, rorent pennaquè sinusquè.*

*Cerne; tridente DEUS terram percussit; & illa
Intremuit, motuquè vias patefecit aquarum,
Undè ad aperta ruunt per apertos flumina campos
Cumquè satis arbusta simul, pecudesquè virosquè,*

Te-

Tecta que, cumq; suis rapiunt penetralia sacris,
Omnia sic pontus, sic desunt littora ponto.
Nempè, tua hoc meruit pietas: unoq; receptæ
Pectore virtutes, quæ tecum, Praside Christo,
Optime Dux, varios præcingebantur in usus;
Justitia utilibus suadens præponere rectum
Communesq; sequi leges injustaq; nunquam
Largiri socijs: Pulcrum Patientia corpus
Informans, nulli ut cupiat cessisse labori.
Temperies, quæ casta, petens: Prudentia, nunquam
Inconsultò agitans: Constantia, futile nunquam
Infirmumq; gerens; Clementia, conscia verè
Parcere subjectis & debellare superbos.

Ab! quanto satius fuerat, pro Principe tanto,
Cujus erat mens celsa atq; auræ simplicis ignis;
Immanes orbi atq; urbi cecidisse tyrannos,
Quos nimium infelix effert, illexq; malorum
Planities tollit, mox tristi lubrica lapsu!
Qui reprobis infando sceleris molimine multum
Creduntur justis, laudemq; à crimine sumunt.

Sed, quid ego hæc autem, tam sanctè arcana, revolvo?
Ostentare, nefas, querendo talia curam.
Namq; Voluntatis supremi causa Parentis
Esse occulta potest, homini nec per via cuiquam;
Verum injusta haud est; causa est justissima; namque
Per cælos, per inane ingens, vastum mare, terras,
Tartara, & Antipodas, justum regit omnia Numen,
Et Verbo æterno, dextrâq; potente tuetur,
Ne pereant, errent vè viâ, quâ pergere jussa;
Cuncta illi reducem debent nascentia vitam,
Cuncta illi immissum debent mortalia fatum:
Cuncta illi tandem post tempora summa dierum
Vere novo reducem debent surgentia vitam.

Undè, mibi liceat si causam dicere fati;
Prob fora! prob platea! vos, conscia pulpita, testor;
Fœcundum in fraudes hominum est genus, atq; nefande
Sunt auri Furie, nec vilia præmia fraudum,
Et super hæc facilis risus; ac more ferarum
Ex rapto vivunt populi; luxuq; solutum
Omne decus; multaq; oppressus nocte pudor stat;
Vis colitur, jurisq; locum sibi vendicat ensis,
Et vitio cessit virtus: namq; aspice gentes,
Nemo insons, pacem servant commercia culpa.

Hinc qui terrarum dominos ad Numina tollit
Regnator maris & terræ & flammantis Olympi,
Affectu exardet, mens effervesceat in iram
Difficilemq; gravis subito dolor excitat iras,
Incenditq; Deum nostrum scelus; aggerat iras
Illa quod haudquaquam dictis violentia mundi
Flectitur, adest superat magis ægrescitq; medendo.

Fronte minæ hinc durant, & stant in vultibus iræ,
Atq; Deus torquet fumantem ex ore vaporem
Iraq; anbelatum proturbat pectore murmur;
Vt multo accensus fervore exuberat undis,
Clausus ubi exusto liquor indignatur abeno.

Hinc, quando divina animum subit ira, cadentem
Vlcisci mundum, & meritas exposcere pœnas,
Quò penitus commissorum veterumq; malorum
Supplicia expendat, luat alta piacula culpe; &
Tollatur scelus infectum, exuratur & igni,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Eximat assumptam labem, purumq; relinquat
Æthereum sensum atq; aurai simplicis ignem;
Ne simili interea commissa luant quoq; pœnâ,
Pœnitent errores quos altum errasse priores.

Quiq;

Quiq̄, trahunt gemitus, corde & suspiria ducunt;
Cui manet en proprium scelerato parcere mundo
Temperiem servat, sumptus nec lumina fervor
Asperat, aut calidas diffundit sanguine pœnas;
Sed meritam gentem altè expulsâ corrigit irâ
Et placidus delicta ejus domat, instrepat indè
Horrendus nunquàm, fremitu nec verbera poscit;

Sed facit, antè, malum vires quàm sumat eundo
Ad terras in pace fluant, & corpore toto
Paulatim exolvant sese, & morientia colla
Atq̄, caput letho ponant animumq̄, relinquunt;
Quæ simulac cedens habitacula pristina fugit,
Candida librati miratur limen Olympi,
Aspectuq̄, Dei fruitur propiore, nec ulla
Aut timet aut sentit mala: Cœlica gaudia, lætam
Esse volunt lucem mundo terrâq̄, profectis.

Talis & Illustris noster Dux ille PHILIPPUS
JULIUS, in longos occlusit lumina somnos,
Inter & amplexus matris, multumq̄, petentis
Conjugis aversi, cadit, oscula grata mariti:

Quippè, vocatus erat sacrâ virtute sacerdos
Bartholdus noster Krakevitzius, Archisacerdos
Pontificale decus, nostro venerabilis orbe;
Et pariter Mystes laudabilis Hagius, ille
Metropolita aule, comitem se junxerat unâ,
Sacra facit, niveam sacro pro vertice tendit
Hostiam, & auratam calicem, tua pignora, CHRISTE,
Ac corpus complexa tuum, complexa cruorem;

Et quia fassus erat, jam tum sua crimina culpa
Illustris pietate Parens ad utrumque paratus,
Sive instare solo liceat, sive ire per auras
Atq̄, instare polo, te, Christe ô, Præsida, detur;

Accipit ante aram sacra solemnia cœna,
Divinas libatq; dapes, libatq; beata
Pocula, velatumq; dapis sacra imagine Numen.

Et sic ille quidem cœlestis pignora vitæ
Hauserat, & fido Christum supponere cordi
Et fidei incrementa novæ nova sumere, pleno
Ceperat ex voto, face quâ nos sydera adimus;

Postquàm, Christe, jubes pulcræ succedere morti,
Condere longævog; natantia lumina somno,
Teq; sequi usq; Animam ad cœlestia gaudia vitæ.

Fortunata Anima ò, maculâ cui contigit omni
Detersâ, afflari tam sanctâ protinus aurâ,
Cuiq; datum incendi tam sancto desuper igni,
Jamq; unâ in dulci flagrando vivere flammâ
Cum Christo, & cœli nitidissima templa subire!

Fortunata anima, hinc salve: post funera, cœlum,
Purpureos inter proceres, qui sanguine fuso
Per varia æternam meruerunt funera palmam,
Semper habes; supero retines & in æthere sedes.

Salve, sancte Parens; salve, re divite felix;
Exulta æthereis Illustris inesse triumphis,
Exigere æternos vitæq; perennis honores.

Sanctæ hinc reliquias diviniq; ossa parentis
Etcineres, tumulo patrio salvete recepti;
Salvete, inq; altâ requiescite molliter urnâ,
Donec erit dilapso ævo venerabile tempus,
Quo mare, quo tellus correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret,
Et liceat tellure novâ cœloq; recenti
Cernere jam lustrata hominum volitare per auras
Corpora; tunc unâ patefactis ossa sepulchris
Eliciet felix nostri sapientia Christi,

IIIa

*Illa iterum in lucem emergent, compositaq, dabo
Mox nervos intermediosq, cutemq, priorem,
Illustrem Ducis & formam, sine fine PHILIPPI
Cui Deus acceptam hanc animam virtute reponet:
Illa ubi gestabit jam habitacula pristina carnis,
Rectrix fida erit, & redivivo in corpore deget.
Succedensq, polo per secula, secula vivet;
Trisagionque Deo plaudenti concinet ore.*

*At nos, caeruleis vittis, atraque cupresso
Et peplo tristes inconsolabile vulnus
Mente alta gerimus, lacrymisque absumimur omnes,
In longum & nostros luctus extendimus & dum, &
Sortibus inditis, indito funere, tristem
Protrahimus vitam, & miscemus moenia luctu!*

*Ab liceat, liceat jam urgentibus unguibus altum
Scalpere vel mediae eiq, ima tellure PHILIPPUM,
Et reditum effosso in terras & reddere vitam!*

*Sed querimur! queruli querimur! querimonia inanis!
Olli dura quies oculis, & ferreus urget
Somnus, & in seram clauduntur lumina somnum!*

*Interea, o miseri, in qua tempora conservamur!
Queis exercendi poenis! poscendaq, quenam
Multa erit, aut quod supplicium Deus exigit ultor!*

*Ito, ito in lacrymas, Domus o miseranda! perennes
Voce cie! qua voce? PHILIPPE, PHILIPPE, PHILIPPE
Blande PHILIPPE, Jubar, Sol, Cor & Vita PHILIPPE!*

*Quo feror? Ab reprimat dolor ora fluentia luctu!
Ab! tibi! si qua py gutta est tibi sanguinis una
Ab Patria! ab dulcis Pomerania-Patria! mecum
Respice Juliaca (ab quondam felicia) regna,
Respice Bergenses (felices olim ibi) terras,
Et totum, dictum a clivosis montibus, orbem;*

Haëtenus & sine parte, tui sine parte pericli
Conspicies peragi furibunda, horrenda, tremenda,
Quando pulcrâ atavorum à stirpe revulsa feruntur
Imperia, ad Pharaonem alieno stemmate natum
Progeniem Israële satam qui nesciat omnem
Quàm vi, fraude, dolo, nec certâ lege gubernans
Extinctam cupiat, demergi & fluminis undâ.

Haëtenus aspexisti alieno in littore factum
Naufragium, scopulis peregrinaq; vocis imago
Clamavit, veluti trepidaret Pontus & æther:

At nunc; Navigij, Celsissimus ille PHILIPPUS
JULIUS, incepti RECTOR, Prælustis & Autor
Excutitur, pontiq; inopinis mergitur undis:
Naufragium in patrio signatur littore, nostrâ
Non sine clade, & non nostri sine parte pericli.

Stat viduata suo Pomeranica Remige navis,
Orba gubernâclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi ut vento jaëtetur, & undâ
Vastato tandem pœnas luat-usquè profundo.

Ab! tandem ne alios mutato remige puppes
Victores vexisse suos, videamus iniquè;

Haëtenus aëst superest tibi spes, bona si tua noffes,
Inter spemq; metumq; hærens, Pomeranica tellus;

Namq; datur tenuisse fugâ Navaliam certa,
Sternitur hæc nedum fufis pelagi area telis:

BVGSLAVS DECIMVS QVARTVS, Duce &
Auspice Christo,

Inclytus ille Ducum flos atq; medulla bonorum,
Dux Pomeranorum, priscis Heroibus ortus
Illustris sanguis, Patriæ spes alta cadentis;

Quam tolli in cœlum curvato gurgite, quamquè
Subducto ad manes imos descendere ponto

facta-

Factatam ventis & viderat equore navim,
Respicit; errantem dubijs nec linquit in undis
Ignaram penitus nec fert hominumque locorumque
Errare huc vento atq; illuc à fluctibus actam.
Ille maris rabiem accedit, penitusq; sonantes
Ingreditur scopulos, remorum & fragmina tollit,
Et relegit, pessum & retrahit fluitantia transtra,
Et, nondum extrema sparsa compage carinae,
Transtra ipsa & malum, laceroq; a plustria velo
Erigit, & Rector summas perlabitur undas,
Subducitq; ratem, socijs & littora complet.

Ergo funereum dum tu comitaris honorem
Principis, & multum fles, ô Pomeranica tellus;
Donec adest rerum paucis occasio nota,
Calvitiem occipitis metue: haud ex tempore vive,
Ne pœnam infecti & facti DEUS exigat ultor:

En, dum dives adhuc Patris indulgentia Christi,
BVGSLAVM, patriæ Rectorem, Regibus ortum,
Pro solita patriæ huic terræ bonitate reservat;
Æterno gemitu precibusq; ardentibus, atque
Cœlestem Dominum lacrymis in vota vocemus,
Inclytus ille ullo ne sanguis marceat ævo,
Nec tanta radix moriatur languida Gentis;

Sed tandem, Duce te, fiat, blandissime JESU,
Ut BVGISLAO facto Patre, Principe prole,
Et Natis Natorum, & qui nascentur ab illis,
Hæc Pomeranorum mœstissima Patria multum
Gaudeat, æternum felici & floreat ævo;
Et, fuso reparata tuo quæ sanguine, nostris
In terris crevit sacrosancta Ecclesia, tanto
Proficiat Rectore, Paracletto & Duce summo
Nostris hujus felix maneat tutela Lycei:

Sic

*Sic ego ; sic omnis mecum bonus' optat : & instat,
Molliter ossa cubent JVLi Ducis illa PHILIPPI,
Molliter & sancto BOGSLAI vita triumpho
Millia procedat sæclorum in secula : DIXI.*



Dn. Lectori S.

*Quæ irrepserè, Amice Dn. Lector, errata; Typographica, sic precor tollas:
in titulo lin. 15. pro Lectuosiss. lege, Luctuosiss. Pagina 2. in facie priore
l. 20. pro ebur, lege, aurum : in facie posteriore lin. 10. pro defunt, lege
desunt : Pag. 3. in facie poster : lin. 27. pro genetrix, lege, genitrix. Pag. 7.
in facie post : lin. 31. pro super, lege super. Pag. 9. in facie pri : l. 2. pro
phtisis l. phthisis; proq, Phlegetontica lege Phlegethontica : Pag. 12.
l. 14. pro totum, l. totam. ibidem in facie post : l. 21. pro litharam l. citha-
ram. Pag. 15. l. 6. pro vulneribusq; l. vulneribus. Pag. 16. fac: poste: l. 10,
pro sperabemus l. sperabamus. Cætera mi Dn. Lector etiam me non
monente tollere haud gravaberis.*



Hist. Pomm. 122

